



Recaredus filius fuit Leonogildi regis Vestrogothorum, qui ante ducentos circiter annos Hispaniam occuparant. Is ob multas uirtutes post patris obitum rex electus fuit. Erat autem ei in moribus dissimilimus. Cum enim pater Arrianam sectam, hic fidem catholicam egregie defendit. Itaque anno Christi 594 Toletanum Concilium septuaginta duobus episcopis ex Italia, Francia, & Hispania conuocatis, celebrauit, atque Arrianum dogma ubique explosit. In eo Leander Hispalensis praesul interfuit, atque haereticos confutauit. Vnde Recaredus Gothorum nomen sua industria longè gloriosius quam priores ullis armis reddidit. Postea

omnes Arrianos Hispania expulit, atque pios sacerdotes ab Ecclesijs eiectiones restituit. Tales praestantiores erant Leander, Fulgentius, & Isidorus, quorum opera effectum, ut postea Hispani constantes in fide perseverarent. Hisce confectis saepius contra Romanos pugnavit, & semper uictor euasit. Vولاتerra nus indicat hunc Recaredum cum Francis bellum gessisse, atque ex eis quadraginta millia interfecisse. Suos autem tanto amore prosequabatur, ut ab omnibus instar patris diligeretur. Nam & tributa & exactiones à patre constitutas remisit, atque omnes filiorum loco habuit. Vnde cum demum Toleti extremum diem clauderet, tantus ubique luctus exauditus, ut quaeque domus praecipuum suum amicum amisisse iudicaret. In eius locum Luiba filius à proceribus rex electus fuit. Ioan. Mag. lib. 16. cap. 10.